



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

3. Intelligentem animam spiritalem esse substantiam

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

Hinc Auerrois propositiones examinemus. Quae in re duo praestare oportet. Primum enim ostendendum est naturali rationi luminis consentaneas omnes eas non esse, verèque Philosophiae aduersari plerisque. Deinde demonstrandum Aristotelem fecus omnino sensisse.

INTELLIGENTEM ANIMAM
spiritalem esse substantiam.

Quod igitur intelligentem animam immaterialem ac perse subsistentem esse ait Auerrois; verissimum est & Aristoteli consentaneum. Qui in tex. 3. & 4. impermixtam & incompatibilem eam esse tradidit. Et in primo libro tex. 65. innasci nobis substantiam quandam existentem; hoc est non ex materia gremio educi, sed aliunde in eam immitti. Et tex. 66. incompatibilem esse. Innasci nobis, inquit Simplicius, hoc est in nos ingredi, aduenientem aliunde, non ex materia educitam: & ideo substantiam existentem; non quod cetera anima non sint substantiae, sed quod materialis non sit, & perse subsistat. Haec Simplicius. Atque in 2. lib. de animalium ortu cap. 3. cum animas ceteras ex materia educi posuisset Philosophus, quod corporea sit illarum actio; Mens inquit sola foris seculis accedit, eaque sola diuina est: Nihil enim cum eius actione commune habet corporis actio. Quo loco non solum immaterialem esse asseruit; verum etiam ex operatione probauit, quae propria illius est, abstracta, & absque corporis organo. Verum hic locus pluribus explicabitur, cum eo rursus vtemur, de huius eiusdem animae origine disputantes. Interim petimus dari nobis, eam à solo Deo ex nihilo produci & immortalem esse. Hoc enim accepto ita ratiocinabimur, eam spiritalem substantiam esse. Quoniam si esset accidens, aut hoc esset materiale aut spiritale: si materiale, rationi magis consentaneum esse, eam ex materia potestatem educi, atque à parentibus actione feminis communicari: si autem spiritale, cum accidens omne oporteat in aliquo subiecto sustentari, neque spiritale accidens materiali & corporeo subiecto inhaereat; aliquam subesse oportebit spiritalem substantiam: hancque intelligentem animam appellamus. Rursum si post corpus superstes est, substantiam eam esse necesse est. Accidens namque separari non potest, neque subiecto destructo conseruari ac perse cohaerere. Itaque omnibus illis argumentis, quibus immortalem esse demonstrabimus, substantiam quoque perse cohaerentem esse ostenditur.

Accedunt ea, quibus Christiani Philosophi docent animam à corpore separatam aut beata frui vita aut supplicij affici. Eaque, quibus futuram hominum resurrectionem asserunt. Si enim eadem ad corpus redibit anima, quia eadem post illius dissolutionem permansit, perse igitur persistens substantia est, non accidens. Ea quoque quibus vniuersè docetur omnem animam esse substantiam; & in specie intelligentem animam esse hominis formam atque alteram humanae substantiae partem, qua homo essentialiter à ceteris distinguitur, & vt principio primo operatur.

A Hanc autem spiritalem substantiam esse eam eius productione colligitur, tum ex immortalitate tum ex operatione. Materialis namque & corporea forma ex materia & corporis potestate potest educi, nec opus esset creatione. Neque separata à corpore & absque illo subsisteret; quoniam materialis forma sine materia esse non potest. Ex operatione cognoscimus formam, sic ex immateriali atque abstracta operatione immaterialis & abstracta forma concluditur. Non solum enim materiales res & singulas, sed immateriales item & vniuersas comprehendit: atque in se ipsam suam operationem redit, potestque se ipsam & suam operationem cognoscere ac velle; quod materialis, organica, & cum quantitate formae permittitur, & quoniam hoc argumentum aliaque nulla pulchre Philoponus explicauit in prologo tertijs operis, & comment. tex. 65. libri primi, adhibuit illius verba. Nullum ex corporibus, inquit se ipsum nouit, nec ad se conuertitur. Non enim se ipsum nouit manus, aut aliud ex corporibus vllum. At ne facultates quod rationis experies nouerunt ipsae se. Non enim aut vilius aut audacius aut omnino sensus se ipsum nouit, neque cuius nouerit, ipse quaerit. Verum ratio est, quae de se inquit inquit. Anima vero rationalis cognoscit se ipsam ipsa est quaerens, ipsa quaerita; ipsa inueniens inuenientia; ipsa cognoscens & cognita: manifeste eam esse incorpoream patet. Facultates autem quae sunt in subiecto corpore, cum corpore ipsae generant & adolefcunt: tales sunt sensus, ira, cupiditas: anima vero rationalis è contrario. Flaccescente enim corpore ipsa viget; non est igitur in subiecto corpore. Praeterea nihil est, quod subiectum suum corrumpi curet. Etenim quaecumque sunt, omnia esse cupiunt. At rationalis anima corpus ipsi parui pendit, atque laboribus per virtutem domat, ipsumque saepe numero penitus derelinquit: igitur in subiecto corpore non habet esse. Haec Philoponus. Tum vero multis rationem eam persequitur, quae ducit ex operatione. Anima rationalis immortalem habet, & à corpore non pendente operationem; igitur eiusmodi quoque illius subiecta est. Sed & ad operationem illa spectat argumentatio, qua alios quoque graues Philosophos vilius fuisse videmus. Inter quos ita Platonis Maximus Tyrus in ser. 28. si corpoream & mortalem naturam animam habeat, quidnam is vel scire, vel renouari, vel discere valeat? Facilius enim cera liquefcens ex sole, preffam signi alicuius imaginem seruet, qui discipulus animus, si corporeus sit: cum liquido conlito corpore omnifariam genus celeriter fluere, perindeque quasi si Euripum, iursum ac deorsum ferri; ob eamque causam modo ex perueritia in iuuentutem exercebre, modo ex iuuentute in senectutem dilabi.

Solus Alexander inter peripateticos materialem atque ex materia erutam potestatem fecit. Nam et Aristotelem quoque accitauerunt aliquando veteres Christiani, quod animam *in corpore* vocaret, quasi corpore adstrictam formam: non eam tamen illi fuisse sententiam demonstratam est. Sed & auctores illi omnes, qui Angelos iudicant esse corporeos, multo magis idem de animabus nostris existimant. Inter quos praecipui fuisse videntur Tertullianus in lib. de anima c. 2. & Origenes lib. 2. de principijs cap. 8. & Paschasius Diaconus lib. 2. de Spiritu sancto c. p. Immo Io. Cassianus collat. 7. c. 11. opinionem

nem scribit fuisse omnium usque ad sua tempora; & Genadius in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus c. 11. & 12. inter Ecclesiastica commemorata, & Faustus Galliæ Episcopus integrum hac de re librū scripsit, De creaturis, ut nihil præter Deum ostēderet incorporeum esse. Quod enim ad animam attinet, ea in sacris litteris vocatur sanguis, ut in lib. Gen. ca. 9. sanguis est animarum vestrarum requiram de manu cunctarū bestiarum. Et in lib. Levit. ca. 17. anima omnis carnis in sanguine est. Et dicitur habere mēbra; ut digitos & linguā Luca c. 16. cum diues rogat, ut Lazarus intingat digitum in aquam & linguā eius refrigeret. Animāq. à corpore separata igne inferni corporeo torquetur: res autē corporea non potest in corpoream agere. Accedit, quod corporis fere affectiones sequitur anima: neq. à corpore discedere potest quādo vult: neque intelligit nisi per corporis sensus.

Ita fuit aliquando dubitatum. Iam verò dubitare non licet. Constitutum enim fuit in Latarenensī Concilio sub Innocentio 3. Deum ab initio ex nihilo cōdidisse veramq. naturā corpoream & spiritalem; angelicam scilicet & mundanā: deinde humanā, quāsi cōmūnem ex spiritu & corpore cōstitutam. Idq. aperiens verbis litteræ sacræ docet. Nam & passim animam nostrā appellat spiritū, Psal. 30. & Luca ca. 23. in manus tuas Domine cōmendo spiritum meū: & Marci c. 14. spiritus quidem prōptus est, caro autem infirma. Et in epist. ad Rom. ca. 8. qui non secundum carnem ambulat, sed secundum spiritū: & priorē ad Corinth. c. 5. tradidi cum Sathana; ut spiritus saluus sit in die domini: & c. 7. ut sit sancta spiritu & corpore. Et posteriore epist. ad eōdem c. 7. emundemus nos metipfos ab omni inquinamento corporis & spiritus. Et in lib. Act. ca. 7. Domine Iesu accipe spiritum meū. Præsertim cū in his locis ita sit de anima nostra sermo, ut opponatur corpori. Immo Io. c. 4. probavit Christus Deum in spiritu, hoc est animo adorandum à nobis esse; quoniam ipse spiritus est: spiritus, inquit, est Deus; & qui adorant eum, in spiritu adorare oportet. Quare ut Deus immaterialis est & spiritalis substantia, sic etiam est in suo genere anima nostra. Quod si bestiariū quoq. anima spiritus interdum vocatur, ut in lib. Gen. c. 6. & 7. ea non absolute ut humana, spiritus appellatur; sed cum additione, spiritus vitæ. Spiritus autem vitæ dicitur ær, quo inspirato, & respirato vivunt. Porro de anima nostra vere observavit S. Epiphanius hæc, 56. eam nusquam dici esse sanguinē, sed interdum affirmari esse in sanguine. Est enim hic optimus & natura amicissimus humor; quo & alimur & sustentamur; neq. sine illo potest anima & vita in corpore permanere. Effectus etiam similitudinē addit S. Augustinus in 2. lib. contra adversariū legis & Prophetarum ca. 6. Sanguis enim est inter omnes humores, quo maxime animal vivit; & animam esse intelligimus, quia animal vivit. Vbi verò mēbra illi tribuuntur, eodem tribuuntur modo, quo tribui Deo solent: non quod mēbra, sed quod opera & effectus mēbrorum habeat, eadēq. efficiat, quæ faceret, si haberet mēbra. Quomodo autem igne inferni torquetur, cōmunis est illi cum Dæmonibus difficultas, de qua non est hoc loco disputandum. Sed propterea Philoponus, cum tenui quodam inseparabili corpore animam ab hoc crasso & palpabili corpore separari & cum eo torqueri credit. At qui ignem illum corporeum esse negant, facile respondent. Qui verò corporeum fatentur, non naturali virtute, sed diuinitus indita eum spiri-

tus quoque dicunt torquere posse. Quod autem corporis fere affectiones sequatur; quod non possit ab eo libere discedere quādo vult, quemadmodum discedit angelus; quod non nisi per corporis sensus intelligat: hæc omnia propterea eveniunt, quod etli spiritalis substantia sit, vera tamen est corporis & naturalis forma; quod postea explicandum erit. Iam alteram Auetris propositionem examinemus.

DE ANIMÆ INTELLIGENTIS ORIGINE.

A Verrois altera propositio fuit, Intelligentem animam ingenerabilem esse. Quasi de vera & propria generatione, quæeductio est ex potestate materia, pronuntiata fuisset, vera nimirum esset. At ingenerabilem ipse dixit, hoc est non de nouo productam, sed ab omni æternitate existentem. Quod falsum est, atque ex duplici falso principio ductum: quod & mundum æternum humanamque animam æternam & vnam in hominibus omnibus posuisset. Aristoteli autem penitus aduersatur.

Sanè de huius animæ origine, ut Pythagora ac Platonis fabulas mittam, qui certum animarū, numerū earūque in alia atque alia corpora migrationem posuerunt: inter Christianos quoque maxima semper fuit disputatio. Carpocrates enim S. Irenei testimonio in libro 1. cap. 24. & Gnostici, & Manichæi, ut in epistol. ad Marcellinum scribit S. Hieronymus, & Philo Indæus in libro, cui titulus est: Quod deterrius insidietur semper potiori, intelligentem animam ex Dei substantia esse dixerunt. Quod in primo Bracarensi Concilio cap. 5. & Toletano 1. cap. ultimo, & in epist. 91. Leonis primi cap. 1. condemnatum legimus. Inde namq. consequens est, Deum esse mutabilem. Hermias autem, Seleucus, & Galatae ut in 7. lib. Tripar. hist. cap. 11. habetur, animas omnes ab angelis factas fuisse putarunt: quod & inter Philosophos credidit Auicenna. At Tertullianus apud S. Augustinum epist. 157. ad optatum, & in libro de hæresibus cap. 86. ita fieri extrahere voluit; ut vnus anima ab alterius anima produceretur. Quod Appollinaris quoque confirmavit apud S. Hieronymum, & in lib. 5. histor. Tripar. cap. 44. Refert etiam S. Augustinus in libro de spiritu & anima cap. 48. & in libro de hæresibus cap. 81. Luciferanos, Cyrillum, & Latinorum aliquos eam cum semine à parentibus dari sensisse. Quæ propterea commemorare libuit, ut minus mirum videretur, si Aristotelem dixerō, imbecillo subnexum nature lumine, ad veram illius originem omnino non fuisse progressum. In Concilio autem Constantinopolitano, & Viennensi cap. firmiter omnes animas nostras à solo Deo creati constitutum est; & S. Leo à nullo, nisi à solo ipsarum creatore Deo, incorporari scripsit. Quod & S. Augustinus locis notatis, & epist. 28. ad Hieronymum de natura & origine animarum, & S. Hieronymus in epist. quam de hac ipsa re ad Marcellinum dedit, & omnes sancti Ecclesiæ patres confirmarunt. Quam ob causam Tertulliani opinionem errorem esse in Ecclesia damnatum scripsit S. Thomas in 2. lib. contra gentes cap. 86. & question. 3. de potentia art. 9.

In libro namq. Gen. cap. 2. solus Deus spirasse dicitur in Adam spiraculum vitæ. Quibus verbis illa

Anima
in
sanguine
dicitur
esse.

Anima
in
sanguine
dicitur
esse.